OCTAVIVS DEL ROSSO

DEI AC S. SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA
EPISCOPVS VOLATERRANVS
SACRI ROMANI IMPERII PRINCEPS ET COMES PALATINVS

Venerabilibus, Archidiacono, Dignitatibus, & Canonicis Cathedralis Eccleſiæ, dilectiſque omnibus & ſingulis ex Clero, Salutem in Domino.

A Apoſtolicum Eccleſiæ noſtræ regimen, & Nobis commiſſi Gregis ſollicitudo non negligenda, mentem & conſcientiam noſtram adeò exagitat, ut ſuperni Patrisfamilias Iudicium in dies magis magiſque reformidemus. Siquidem in Cathedra hac, velut in ſpecula quadam conſtituti, tamquam poſiti Cuſtodes domui Iſrael, ob miniſterium noſtrum explendum, diù noctùque Cœleſtis tubæ clangoribus ad vigilias & ad labores excitamur; ne, ſuffragante Paſtoris ſomno, occultis Luporum inſidijs, qui aſſiduos in ovile Dominicum moliuntur incurſus, invadendi in Gregem præbeatur occaſio; neve, ſæviente pelago, naviculam ſimul & navigantes decumanis fluctibus procella involvat; ſi qui Gubernaculo præeſt manus remiſerit, & laborem. Ne maiori igitur omiſſionum pondere gravetur animus; quia nomen tenemus operis, non honoris, quò felicius cæcos ac claudos compellere valeamus ad Patriam, Ovile Noſtrum, Paſcua, & Oves ite-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

rum viſitare ſatagimus. Vrget enim ſuſcepti muneris ratio; urget Paſtoralis cura; urgent Sacroſancti Tridentini Concilij Decreta; urget amor, quo ductus providus ille Paſtor, relictis nonaginta novem ovibus in deſerto, proſilijt anxius, ovem, quæ perierat, quæſiturus; urget & timor, ne, ſi quid de Ovili Dominico, ob conniventis excubitoris incuriam, deperierit, Nobis, quibus totam negotij molem commiſit, Dominus ſit aſcripturus.

Proinde, nobiles Animarum Cuſtodes, qui in partem Paſtoralis ſollicitudinis unà Nobiſcum vocati eſtis, iterum veniemus ad vos, ac ſedulò diſquirèmus, quæ circa oves veſtras cura, qui circa Paſcua delectus, quæ circa teneros fœtus ſolertia, quæ, circa morbidas & ægrotantes, præſentia adhibeantur remedia. Idcircò conſulite rebus veſtris; à Nobis enim totius Procurationis veſtræ ratio repoſcetur; nec erit excuſationi locus, ſi Lupus comederit oves, & ignoraverit Paſtor. Quò autem ipſis ovibus abundè proſpectum ſit, circa duces earum in ea ſententia ſumus, ut fortiori ſint medela curanda, ſi quæ adhuc vulnera cicatricem non obduxerint; quia imperitus eſt ille medicus, qui tumentes vulnerum ſinus diù manu parcente contrectat, & in altis viſcerum receſſibus virus exaggerat. Perperam difficilis & ancipitis viæ, ſub cæco duce, felix ſperatur progreſſus; & fruſtra in rivis aquarum nitor expetitur & ſalubritas; ſi fons, à quo diducuntur, limoſus fuerit & infectus. Quapropter, conſiderantes dignitatem veſtram, periculum quoque ob oculos ponite: Siquidem omnes, qui curæ veſtræ commiſſi ſunt, quique tamquam ſidera errantia in tenebris ambulant, ab unoquoque veſtrûm, veluti à luminis fonte, emendìcant lucem. Veſtrum eſt, errantes in viam ſalutis reducere, deceptis veritа-

ritatem oſtendere, verbo & exemplo præire, & inter caligi-noſos ſæculi calles, ſalubres ducendo vigilias, creditum ovile ad caulam Domini promovère. At ſi lumen, quod in vobis eſt, tenebræ ſint; tenebræ ipſæ quales fuerint? Si excubias veſtras, quibus publica ovium ſalus ab irruentibus hoſtibus munitur, ſomnus oppreſſerit, nonnè & Paſtores & Greges, Leo rugiens indiſcriminatim perdet in interitum? Audite Iſidorum ſic alloquentem: *Sacerdotes pro peccatis populorum damnantur, ſi aut errantes non erudiunt, aut peccantes non corrigunt.* Audite Auguſtinum: *Non ſolùm pro peccatis noſtris reddenda ratio eſt, ſed pro ijs omnibus, quibus abutimur, donis.* Audite Gregorium: *Nullum puto, fratres cariſſimi, ab alijs maius præiudicium, quàm a Sacerdotibus tolerat Deus; quando eos, quos ad aliorum correctionem poſuit, dare de ſe exempla pravitatis cernit; quando ipſi peccamus, qui compeſcere peccata debuimus.* Audite, quæ plena timoris per Ezechielem Paſtoribus Iſrael Dominus locutus eſt: *Erraverunt in montibus, diſperſæ ſunt oves meæ, eoquòd non ſit Paſtor; & factæ ſunt in comeſturam omnibus Beſtijs agri, & non fuit qui requireret, & qui revocaret: Veruntamen ſanguinem earum de manu veſtra requiram.* Propterea non tam in viſitationis Noſtræ, quàm in ſupremi illius Iudicij, in quo Iuſtitiæ iudicabuntur, expectatione, vigilate ſuccincti. Expolite iugiter animum veſtrum, ne quo poſſit terrenæ converſationis pulvere aſpergi; & ut filij lucis exempla monſtrate. Attendite vobis, attendite Gregi, & oves commiſſas ad paſcua revocantes, divino ſæpius pabulo reficite. Cavete autem; nam omnia plena ſunt laqueis, & in ipſa tranquillitatis fiducia tempeſtas oboritur: quare ad certamen ſemper inſtructi, ne vos diuturni ſudoris, & pugnæ pigeat, ſpeculamini Cœlum. Illic Paſtores manet incorrupta corona, ſi per anfra-

ctus

ctus huius ſæculi; Cœleſtium ſignorum ductu, cum Gregibus ſuis ad beata littora ab iniurijs hoſtium appulerint inoffenſi: & intelligite, quòd præmia agonem ſequuntur; quòd morimur quotidie; quòd volat irrevocabile tempus; quòd momentaneum hoc tribulationis æternum gloriæ pondus operatur in nobis; & quòd tandem de profectu ovium fient gaudia æterna Paſtorum. Quæ dum Nobis, & vobis à largitore omnium bonorum ex animo preçamur, Paſtoralem vobis Benedictionem pro coronide impartimur. Volaterris, ex noſtro Epiſcopali Palatio, die Iunij 1692.

OCTAV. EPISC. VOLATER.

Barthol. Fiocchi Secr.

FLORENTIÆ. Apud Vincentium Vangeliſti. MDCXCII.

Superiorum permiſſu.

ritatem oſtendere, verbo & exemplo præire, & inter caliginoſos ſæculi calles, ſalubres ducendo vigilias, creditum ovile ad caulam Domini promovère. At ſi lumen, quod in vobis eſt, tenebræ ſint; tenebræ ipſæ quales fuerint? Si excubias veſtras, quibus publica ovium ſalus ab irruentibus hoſtibus munitur, ſomnus oppreſſerit, nonnè & Paſtores & Greges, Leo rugiens indiſcriminatim perdet in interitum? Audite Iſidorum ſic alloquentem: *Sacerdotes pro peccatis populorum damnantur, ſi aut errantes non erudiunt, aut peccantes non corrigunt.* Audite Auguſtinum: *Non ſolùm pro peccatis noſtris reddenda ratio eſt, ſed pro ijs omnibus, quibus abutimur, donis.* Audite Gregorium: *Nullum puto, fratres cariſſimi, ab alijs maius præiudicium, quàm a Sacerdotibus tolerat Deus; quando eos, quos ad aliorum correctionem poſuit, dare de ſe exempla pravitatis cernit; quando ipſi peccamus, qui compeſcere peccata debuimus.* Audite, quæ plena timoris per Ezechielem Paſtoribus Iſrael Dominus locutus eſt: *Erraverunt in montibus, diſperſæ ſunt oves meæ, eoquòd non ſit Paſtor; & factæ ſunt in comeſturam omnibus Beſtijs agri, & non fuit qui requireret, & qui revocaret: Veruntamen ſanguinem earum de manu veſtra requiram.* Propterea non tam in viſitationis Noſtræ, quàm in ſupremi illius Iudicij, in quo Iuſtitiæ iudicabuntur, expectatione, vigilate ſuccincti. Expolite iugiter animum veſtrum, ne quo poſſit terrenæ converſationis pulvere aſpergi; & ut filij lucis exempla monſtrate. Attendite vobis, attendite Gregi, & oves commiſſas ad paſcua revocantes, divino ſæpius pabulo reficite. Cavete autem; nam omnia plena ſunt laqueis, & in ipſa tranquillitatis fiducia tempeſtas oboritur: quare ad certamen ſemper inſtructi, ne vos diuturni ſudoris, & pugnæ pigeat, ſpeculamini Cœlum. Illic Paſtores manet incorrupta corona, ſi per anfra-

ctus huius ſæculi, Cœleſtium ſignorum ductu, cum Gregibus ſuis ad beata littora ab iniurijs hoſtium appulerint inoffenſi: & intelligite, quòd præmia agonem ſequuntur; quòd morimur quotidie; quòd volat irrevocabile tempus; quòd momentaneum hoc tribulationis æternum gloriæ pondus operatur in nobis; & quòd tandem de profectu ovium fient gaudia æterna Paſtorum. Quæ dum Nobis, & vobis à largitore omnium bonorum ex animo precamur, Paſtoralem vobis Benedictionem pro coronide impartimur. Volaterris, ex noſtro Epiſcopali Palatio, die Iunij 1692.

OCTAV. EPISC. VOLATER.

Barthol. Fiocchi Secr.

FLORENTIÆ. Apud Vincentium Vangeliſti. MDCXCII.

Superiorum permiſſu.